SACRA RITUUM

CONGREGATIONE

Emo, & Rmo Domino

CARD. ALBANI

SACRI COLLEGII DECANO

HISPALEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VENERABILIS SERVI DEI

FERDINANDI DE CONTRERAS

PRESBYTERI SÆCULARIS

NOVISSIMA POSITIO

SUPER VIRTUTIBUS HEROICIS



ROMÆ MDCCLXXXV.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ

HISPALEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VENERABILIS SERVI DEI

FERDINANDI DE CONTRERAS

PRESBYTERI SÆCULARIS

FACTUM CONCORDATUM

1 POtens Dominus suscitare *de lapidibus filios Abrahæ*, & inscrutabili divinæ sapientiæ consilio per vias educere, quas terrena & carnalis prudentia assequi profecto non potest, VENERABILEM FERDINANDUM DE CONTRERAS ab ineunte adolescentia utroque Parente orbatum, nullo humanæ potentiæ, aut paternarum opum, quas prorsus intactas Fratribus suis fruendas reliquit, præsidio destitutum, sed sola communitum Fide, quæ per charitatem operatur, rerum omnium inopem atque egenum, in statu Presbyteri Sæcularis illustre esse voluit non Hispanis modo, verum etiam Barbaris Africarum orarum gentibus exemplum perfectæ cumulatæque virtutis. Eximia enim, ac vere admiranda in Proximum charitate inflammatus, quum se totum Concivium suorum saluti procurandæ diu multumque dedidisset, patriæ regionis limites egressus, Mauritaniæ oras adivit, ut Christianos homines jugum sustinentes diræ servitutis, in Fide confirmaret, & a captivitate redimeret, quousque per arduam ærumnarum viam mortalitatis spatio confecto, anno reparatæ salutis 1548. ad beatum immortalis vitæ gloriæque portum pervenit.

2 In hujus porro Christiani Herois sanctitatem, virtutes, res gestas, atque miracula, quum satis diu inclaruisset, ne temere festinarent, anno 1631. Hispalensis Antistes ordinaria, qua pollebat, auctoritate opportunas instituit Inquisitiones, quibus in Urbem delatis, Actisque Sacræ Rituum Congregationis de more exhibitis, eadem Sacra Congregatio, die 24. Septembris 1638., citato & audito R. P. Fidei Promotore, petita concessit, & cl. me. Cardinali Cæsarino commisit, ut ser. ser. in Causa præfati Servi Dei procederet.

3 Interim, quum Decretis S. Inquisitionis cultum prohibentibus paritum fuisse constaret, Agens Causæ, sive Postulator institit, ut ad ulteriora procederetur; quumque Processus *de non cultu*, tempore a Sac. Inquisitione præscripto neutiquam fuisset fabricatus, Sacra ipsa Congregatio die 17. Novembris 1640. Dubium, *an esset locus dispensationi*, proponi posse mandavit.

4 Eodem vero Cardinali Cæsarino referente, Sacra Congregatio dispensari posse censuit, si Summo Pontifici videretur, ab utroque defectu, quod, videlicet S. Inquisitionis Decreto ab initio non erat paritum; quodque Processus *super non cultu* post Causam jam introductam, atque adeo terminatam Ordinarii facultatem, fuerat ab Ipso constructus: Summus autem Pontifex Sacræ Congregationis consilio adhærens, annuit, die 2. Martii 1641., mandavitque sanatoriam Commissionem super unoquoque a Sanctitate Sua signandam expediri.

5 Statu hujus Causæ jam in tuto rectoque tramite collocato, a prædicto Cardinali Cæsarino propositum fuit Dubium: *An Remissoriales Litteræ ad construendum Processum in genere forent concedendæ*; & Sacra Congregatio die 13. Septembris 1642. mandavit expediri prius Generalem Commissionem juxta novissima Decreta, & instantias examinari, antequam Summo Pontifici referretur, & postmodum denuo proponi.

6 Anno proxime consequente nempe post Virginis partum 1643. manu Urbani VIII. Pontificis tunc Ecclesiam moderantis Commissione signata, & quæstione super non Cultu feliciter absoluta; quum ad Generalem Inquisitionem foret procedendum; Clemens Papa X. die 25. Novembris 1673. in hujus Causæ Ponentem deputavit clar. me. Cardinalem de Portocarrero, eumque opportunis necessariisque facultatibus communivit.

7 Nec mora fit ulla: eodem anno paucos post dies, nempe 2. Decembris, Summo Pontifici fuit supplicatum pro impetrandis Remissorialibus, & Compulsorialibus Litteris, quarum vigore Processus in genere construeretur; Prædictas autem litteras Sacra Congregatio, ad relationem Secretarii, qui vice Relatoris tum absentis functus est, concedi posse censuit, easdemque dirigi pro Hispalensi Civitate atque Diœcesi, Reverendissimo Archiepiscopo Hispalensi, Reverendissimo Episcopo Visicensi, necnon Vicario Generali Hispalensi cum clausula, quod duo saltem ex illis, unius anni termino præstituto, ad dictarum executionem litterarum simul atque conjunctim procederent; Rescriptum vero Sacræ Congregationis die 20. supradicti Mensis & anni Summus Pontifex confirmavit.

8 Deinde ad præfatum Processum absolvendum die 30. Martii 1675. novo alterius anni termino benigne concesso, eodemque die 21. Martii 1676., die 13. Februari 1677., die 12. Martii 1678. sæpius aucto & prorogato, prout necesse fuit; tandem Vitus Angelus Cavaletti, eo tempore Causæ Postulator, humillimis precibus supplicavit tam pro novo alterius anni termino impetrando, quam pro subrogatione modernorum Hispalensis Archiepiscopi, Episcopi Visicensis, & Vicarii Generalis Hispalensis in locum Judicum prius delegatorum; pariterque cum facultatibus prorsus iisdem, quas jam primores Judices legitime acceptas obtinebant; ac die 9. Aprilis 1729. voti compos effectus est post auditum Fidei Promotorem, ac firmis remanentibus clausulis omnibus & facultatibus, quas supra enunciatæ Remissoriales Litteræ exprimebant. Hujusmodi vero Sacræ Congregationis concessionem Secretario de more referente, die 18. Junii 1729. Sacratissimus Princeps ratam habuit, & confirmavit.

9 Novorum Judicum impetrata a Postulatore subrogatione, quum ad ejus notitiam pervenisset, primas litteras Remissoriales, & Compulsoriales non modo Delegatis Judicibus nequaquam fuisse exhibitas, verum etiam in quodam Archivo apertas, & informes reperiri, navus industriusque Vir novas Litteras humillime postulavit dirigendas Hispalensi Archiepiscopo, necnon quatuor Dignitatibus, seu Canonicis Metropolitanæ illius Ecclesiæ ab ipso Archiepiscopo nominandis cum consuetis clausulis; ac termino Biennii; & Sacra

cra

cra eadem Congregatio, audito Fidei Promotore, omnesque & singulas tribuendo ad hunc effectum facultates necessarias & opportunas die 28. Aprilis 1731. petitas litteras concessit, eodemque anno die 2. Maii gratiæ huic Summi Pontificis adprobatio accessit.

10 Interim ne longo temporis decursu ingeri suspicio posset de identitate Corporis hujus Ven. Servi Dei, quod annos centum octoginta & ultra in dicta Metropolitana Ecclesia fuerat Sepulchro conditum; idem sane vigilans Postulator humillime supplicavit, ut Sacra Congratio per suas particulares litteras Reverendissimo Archiepiscopo Hispalensi, sive ipsius Generali Vicario ejusdem Cadaveris recognoscendi facultatem impertiri dignaretur; ac die 17. Januarii 1733. eadem Sacra Congregatio petitas litteras cum instructione R.P. Promotoris Fidei concedi posse censuit; atque hujusmodi decretum quatuor post diebus Summus Pontifex benigne comprobavit.

11 Hæc dum geruntur, Processus super fama Sanctitatis in genere in Urbem pervenit, ac de more extitit Actis Sacræ Congregationis exhibitus; Quocirca ejusdem suppliciter rogata, & impetrata die 5. Decembris 1733. Aperitio fuit, accedente die 11. dicti Mensis, Summi Pontificis oraculo.

12 Interim hujus Causæ Relatore demortuo, post humillimas Postulatoris preces, Clemens Pontifex XII. die 24. Septembris 1734. Cardinalem Pieri in Ponentem subrogavit & benigne nominavit.

13 Novo Causæ Ponente impetrato, die 11. Decembris 1734. Sacratissimus Pontifex concessit facultatem, qua Dubium Famæ Sanctitatis, Virtutum, & Miraculorum in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione absque interventu Consultorum proponi ac discuti posset. Sed iterum propter fragilitatem naturæ, brevitatemque vitæ, Ponente Causa viduata remansit. Qua de re, Postulatore humillimis precibus instante, Benedictus XIV. in defuncti Cardinalis Pieri locum cum omnibus facultatibus necessariis atque opportunis, & in statu terminisque, quibus ipsa Causa reperiebatur, die 25. Aprilis 1753. Cardinalem Portocarrero benigne subrogavit, ac deputavit.

14 Verum quum præfati Ven. Servi Dei testamentum quoddam, antequam Sanctitatis fama discuteretur, exhibendum foret ac revidendum, peculiaribus adductis a Causæ Postulatore rationibus, auditoque Fidei Promotore die 31. Januarii 1754. Summus Pontifex concessit, ut illud minime obstaret; sub conditione tamen, quod ad examen Virtutum ipsius Dei Famuli nequaquam procedi posset, nisi exhibito revisoque hujusmodi testamento.

15 Itaque data copia, & facta Postulatoribus libera potestas proponendi discutiendique Dubium super Fama Sanctitatis, hujusmodi controversia die 16. Februarii 1754. in ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione fuit discussa, deque ipsa Fama constare uniformis Reverendissimorum Cardinalium sententia fuit, quam quidem Summus Pontifex die 13. Martii ejusdem anni ratam habuit, & comprobavit.

16 Fama Sanctitatis vitæ, virtutum, ac Miraculorum *in genere* præfati Ven. Servi Dei jam comperta explorataque, die 3. Aprilis 1754. expeditæ sunt Remissoriales litteræ, simulque Compulsoriales ad construendum in Civitate ac Diœcesi Hispalensi Processum Apostolicum super Virtutibus, & Miraculis *in specie*, eæque directæ Reverendissimo Archiepiscopo Coadministratori Hispalensis Archiepiscopi, atque ejus Vicario Generali, necnon quatuor Dignitatibus, seu Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ ab eodem Reverendissimo Coadministratore nominandis cum facultate etiam visendi, recognoscendi; describendique statum cum Sepulchri, tum vero Corporis Ven. Servi Dei, ac termino novem annorum.

17 Sed non ita multum post tempus, ex quo præfatæ litteræ ad tales Viros expe-

ditæ

ditæ fuerant, forte contigit, ut Serenissimus Infans Hispaniarum, idemque S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopalem a se ultro abdicaverit dignitatem; qua de re Apostolicæ Inquisitionis cursus hærere suspensus debuit; Tum vero ne longius cunctando Causæ detrimentum afferretur, laudatus Postulator Sacræ Congregationi humillime supplicavit, ut electum recens Archiepiscopum Hispalensem, ac quinque ex Dignitatibus seu Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ in prædicti Processus Judices delegare dignaretur; & Sacra eadem Congregatio die 29. Novembris 1755., Secretario referente juxta præcedentium Litterarum tenorem, novoque sex annorum termino præstituto, petitam Oratori gratiam concessit, quam deinde Sacratissimus Princeps die 10. Decembris prædicti anni confirmavit.

18 Hæc dum geruntur domi, forisque, Apostolica Inquisitio perficitur, idem Postulator Sacræ Congregationi exposuit, quod nova capsa, in qua a Delegatis Judicibus Ven. Servi Dei Corpus fuit reconditum, sita reperiebatur nimium infra humum, in Sepulchro admodum longeque profundo, atque adeo humiditate plurimum scatente, cum evidenti periculo, quod ipsa Capsa quantocius putrefiat, unde irreparabile Cadaveri Servi Dei detrimentum consequatur; ideoque supplicavit pro facultate reponendi Venerabile Corpus in nova Capsa, ipsamque in loco humiditati minus obnoxio constituendi; huic autem justæ honestæque petitioni die 9. Augusti 1760. libens annuit Sacra Congregatio, exoptatamque Capsæ permutationem per Litteras particulares cum instructione R.P. Promotoris Fidei Rmo Archiepiscopo Hispalensi executioni mandandam permisit.

19 Rebus ita se habentibus, laudatus Cardinalis Portocarrero, strenuus Caussæ Relator ex hac vita decessit. Quamobrem, quum Postulator san. memor. Pontificem Clementem XIII. supplex accessisset, Sanctissimumque Patrem, ut novum designaret Ponentem, humillimis enixisque precibus rogasset, Sacratissimus pientissimusque Princeps die 29. Novembris 1761. me in defuncti locum cum omnibus facultatibus necessariis, & opportunis benigne subrogare dignatus est, in ipsis terminis, & statu, in quo ipsa Causa tum reperiebatur.

20 Ponentis munus ut obivi, primum fuit exhibitus in Actis Sacræ hujus Congregationis, clausus, sigillisque munitus Processus Remissorialis, atque Compulsorialis in Civitate, ac Diœcesi Hispalensi super Virtutibus, & Miraculis in specie nostri Ven. Servi Dei Apostolica Auctoritate constructus; & Postulatori ejusdem aperitionem humillime postulanti, die 14. Augusti 1762. Clemens Papa XIII. felicis recordationis benigne concessit.

21 Hinc prævia dispensatione ab interventu Consultorum die 15. Decembris 1762. impetrata, propositum per Me ipsum fuit in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione Dubium Validitatis cunctorum Processuum tam Apostolica, quam Ordinaria Auctoritate constructorum, & Sacra hæc Congregatio, die 7. Julii 1764. rescribendum censuit: *Affirmative in omnibus*, expunctis dumtaxat testificationibus Julio Cæsareæ, Teutan, & Cetuæ confectis; Hujusmodi vero rescriptum Summus Pontifex die 11. Julii supradicti anni benigne confirmavit.

22 Processuum validitate comprobata, quoniam a Ven. Viro, dum in humanis versabatur, nonnulla opuscula manuscripta litteris mandata fuerant, quæ omnia juxta Generalium Decretorum dispositionem exhiberi, & examen subire debent, priusquam ad ulteriora in Causa procedatur; hinc optimo jure Sacra Congregatio die 24. Augusti 1771., tum Reverendissimo Cardinali Archiepiscopo Hispalensi, tum Vicario Capitulari Toletano, tum etiam Rev. Patri Missionibus Tetuani Præfecto particulares litteras misit, quarum vigore,

juxta

juxta Promotoris Fidei instructionem, prædicta scripta quotquot erant, vel per se ipsos, vel per commendatas gravium Virorum personas ab iisdem eligendas, studiose religioseque perquirerent.

23 Peractis autem per summos Viros plurimis maximisque diligentiis, omni cautione abundantibus, juxta præfatæ Instructionis tenorem; repertisque omnibus atque singulis manuscriptis, jam in Urbem transmissis; sedulus Causæ Postulator, ut supra memoratis Urbani VIII. Decretis rite satisfaceret, Clementi XIV. Pontifici humillime supplicavit, ut Manuscriptorum omnium examen mihi tanquam Relatori, & Ponenti committeret, facultatemque vel unum, vel plures Theologos, prout libuerit, in Revisores deputandi impertiri dignaretur. Oratoris autem precibus, Secretario referente, die 26. Julii anno reparatæ salutis 1773., juxta petita Summus ipse Pontifex clementer annuit.

24 Relato autem in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione, die 4. Septembris 1773. habita Voto Theologorum Revisorum, qui a Me fuerunt, juxta consuetas facultates mihi ipsi prævie tributas electi, & deputati, factaque item plena distinctaque relatione de contentis in binis aliis Processiculis Toleti nempe ac Tetuani constructis pro reperiendis aliis manuscriptis minime ibidem repertis; ex quibus constitit, accuratissimas diligentias incassum fuisse adhibitas; Sacra Congregatio, audito prius Fidei Promotore, qui suam quoque sententiam exposuit, *ad ulteriora procedi posse* censuit, atque rescripsit. Hoc vero Sacræ ejusdem Congregationis judicium, die 11. ejusdem mensis, & anni Sacratissimus Princeps ratum habuit, & Pontificia Auctoritate confirmavit.

25 Rebus ad hunc terminum perductis, & præliminaribus, quas vocant, controversiis omnibus bene, ac feliciter expeditis, tandem aliquando factus est locus heroicarum Ven, Servi Dei Virtutum examini, & discussioni. Itaque Feria 3. die 11. Junii 1776. meas in Ædes convenerunt, tum emeritissimi Præsules, tum doctissimi Patres de numero Consultorum, & Congregatio habita fuit, quæ dicitur *Ante præparatoria*: Die vero 20. Julii 1784. altera successit, quæ *Præparatoria* appellatur, coacta in Palatio Apostolico ad Quirinalem.

26 Quæ quum ita se habuerint, nihil modo aliud superesse intelligitur, nisi ut habeatur *Congregatio Generalis* coram Sanctitate Vestra super examine heroicarum Venerabilis Ferdinandi Virtutum, ac propterea sequens subscripsi Dubium, jam concordatum cum ipso Fidei Promotore, & in præfata Generali Congregatione discutiendum.

27 Dubium: *An constet de Theologicis Virtutibus Fide, Spe, & Caritate in Deum atque Proximum: pariterque de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de quo agitur?*

J. F. Card. Episc. Ostien. Sac. Collegii Decanus Ponens.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
Petetia [illegible]
cautione [illegible] juris [illegible]
omnibus [illegible]
[illegible]

[illegible]